U pra 13

QUAESTIONES VEGETIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS BRUNCKE

HELMSTADIENSIS.

HELMSTADII,

TYPIS J. C. SCHMIDT.

MDCCCLXXV.

I.

Quaeritur num Flavius Vegetius Renatus Catonis Celsi Frontini Paterni libros de re militari in usum suum converterit.

Quicunque diligenter Flavii Vegeti Renati epitomam rei militaris perlegerit, miram quandam dicendi diversitatem inveniet et in prologis atque epilogis singulorum librorum et in iis capitibus, quibus res militaris exponitur. Ut enim prologi atque epilogi scatent quasi nimiis erga imperatorem blandimentis et adulationibus et abundant nimio ornatu rhetorico (I epit. = 28, 8 Lang. III prol. = 63. 11 L.), ita in reliquis capitibus laudanda est brevitas et concinnitas orationis.

At per se patet, dixerit quispiam, Vegetium bene et concinne de re militari egisse, cum ipse testetur antiquorum scriptorum libros sese in epitomam redegisse. Et probata hac sententia optime etiam explicaretur stili diversitas, de qua modo monuimus, siquidem ea deteriora Vegetium ex suo addidisse, in reliquis autem auctores suos secutum esse statuendum esset.

Qui vero posterioribus Romanorum literis eruditus est, perspectum habet saepissime a sequioribus scriptoribus multos laudatos esse auctores quorum libros nunquam inspexerunt, contra eos auctores, quos expilaverunt et ad verbum paene exscripserunt, ne commemoratu quidem dignos visos esse. Sic iam Aulus Gellius maiore quam habuit doctrina excellere voluit [1]) et post eum permulti; — adeo autem haec doctrina gloriandi cupido aucta est,

[1]) cf. L. Mercklin: Die Citiermethode und Quellenbenützung des A. Gellius. Jahrbücher f. class. Philol. Supplementbd. III 1860 pag. 641.

ut Fulgentius grammaticus, qui paulo post Vegetium Renatum floruit (Vegetius enim epitomam suam rei militaris secundum ea quae Carolus Lang [2]) in praefatione editionis suae pag. VI—IX disputavit inter annos 384—395 confecit) et auctores et auctorum libros summa cum impudentia ementitus est.

Quae cum ita sint, operae fortasse pretium est paulo accuratius inquirere, utrum Vegetius revera eos quos nominat auctores „epitomaverit“, an et ipse inter eos scriptores habendus sit, qui simulata doctrina gloriati sunt.

Secundum complures locos (I 8. II 3.) Vegetius et Catonis et Celsi et Frontini et Paterni libros de re militari „diligenter et fideliter“ legit, praeterea et Augusti Traiani Hadriani constitutiones, quae ad militariam spectabant novit, denique quae apud „diversos auctores et diversos historicos vel armorum disciplinam docentes dispersa atque involuta celabantur“ de re militari, ea omnia se collegisse et „velut in ordinem epitomae“ conscripsisse et „pro utilitate Romana in medium“ protulisse testatur. Quod si revera fecit, sane magnam diligentiam et fidem praestitit. Sed hae nimiae et compluribus locis cum emphasi repetitae industriae suae laudes dubitationem inicere debent, num Vegetius tanta laude dignus sit. Sed ad rem.

Quinam illi „diversi auctores et historici“ fuerint, nos divinare non possumus, cum praeter Sallustium [3]) nullus rerum scriptor nominetur, Caesaris autem et Livi et Taciti paene nulli inveniantur loci apud Vegetium; de Catone igitur Celso Frontino Paterno, qui nominatim inter auctores a Vegetio afferuntur, disputationem nostram instituamus.

De Catone autem a Vegetio expilato agentibus nobis maximi momenti esse debent, quae Jordanus [4]) observavit cum colligeret dispersas Catonianorum librorum reliquias. Ille enim non dubitavit, duos locos inter Catonis reliquias de re militari recipere, qui Vegeti Renati solius auctoritate nituntur. Attamen dubium esse

[2]) Flavii Vegeti Renati epitoma rei militaris recensuit C. Lang. Lipsiae in aedibus Teubneri MDCCCLXVIIII.

[3]) Veg. I 4 = Sallust. Cat. 7. 4. Veg. I. 9 apud Sallustium fortasse in historiis exstitit et a Dietschio inter fragmenta Sallustiana 2, 11 receptum est.

[4]) Catonis praeter librum de re rustica quae exstant recensuit et prolegomena scripsit H. Jordan. Lipsiae 1860.

potest, num hoc iure factum sit. Jordanus enim ipse grammaticorum multorum auctoritate nisus in prolegomenis pag. CII nos docuit Catonem non libros, sed unum tantum librum de re militari scripsisse. Quid vero, nonne offendere eum debebat, quod apud Vegetium non de re militari, sed de disciplina militari (Veg. I. 8) nec liber sed libri (Veg. I. 15) citantur? nonne haec discrepantia dubitationem movere debebat, num Vegetius omnia „fidelissime“ dixerit? nam Vegetius solus est, qui Catonis libros de disciplina militari se novisse testatur; aut igitur Festus Gellius Nonius Priscianus Philargyrius erraverunt, cum Catonem librum de re militari scripsisse prodiderint, aut Vegetius Renatus minime ea, quam testatur diligentia et fide usus est, quod certe omnibus multo verisimilius videbitur esse. At non satis habeo Vegetium neglegentem et infidelem increpare, sed Catonis librum de re militari eum omnino ad manus non habuisse contendo, eo enim animum inducere non possum, ut credam Vegetium etiamsi neglegenter Catonis librum legerit, plane falsum libri illius inscriptionem compluribus locis dedisse. Eo vero audaciae non progrediar, ut duos illos locos, quos Jordanus inter Catonianos refert pag. 81. spurios esse contendam Catonique abiudicandos, facillime enim ex derivatis fontibus, velut de re militari commentariis, Vegetius haec omnia cognoscere potuit, quae postea ita protulit, quasi ipse Catonis libros diligenter et fideliter legisset. Sic enim optime explicatur, cur falsam Catoniani libri inscriptionem Vegetius exhibuerit, neque nostrae sententiae repugnat, quod apud Vegetium III 20 verba Catoniana exstant, omisso Catonis nomine; quibus autem argumentis C. Lang ea quae annotavit ad Veg. III 20 „totum hoc de depugnationibus caput magnam quidem partem ex Catonis de disciplina militari libro exscripsisse noster videtur“ probare posse putet, equidem non video; item vereor, ut qui Jordano auctore vestigia Catonianae doctrinae in Vegetiano opere latentia indagaturi sint, nimiis difficultatibus impediti fructum habituri sint, nam omnia quae apud Vegetium sunt Catoniana non ex ipso Catonis libro, sed ex derivatis fontibus fluxerunt. [5])

---

[5]) Eandem sententiam breviter indicavit L. Lange in historia mutationum rei militaris Romanorum. Gottingae 1846 pag. 14. n. 9.

Secundum, quem Vegetius nominat auctorem, Cornelium Celsum de re militari scripsisse praeter Vegetium et Quinctilianus instit. XII 11. 24 et Lydus de magistratibus I 47. III 33 et 34 testes sunt. Secundum Lydum autem Celsus non solum de universa Romanorum militia scripsit, sed etiam peculiarem commentationem de bello a Romanis contra Parthos (sive Persas) gesto, ille enim III 33 haec decit: *συγγραφὴν περὶ τούτου μονήρη Κέλσος ὁ Ῥωμαῖος τακτικὸς ἀπολέλοιπε σαφῶς ἀναδιδάσκων εἰς οὐκ ἄλλως Πέρσαι Ῥωμαίοις παραστήσονται εἰ μὴ αἰφνιδίως εἰς τὴν ἐκείνων χώραν Ῥωμαῖοι γνόφου δίκην ἐνσκήψουσιν.* Cum vero praeter hanc unius loci graecam versionem ne minimae quidem reliquiae ex Celsi de re militari scriptis supersint, diiudicare non possumus, quem ad modum integros libros Vegetius epitomatos reddiderit. Attamen cum locis compluribus tertii libri Vegetiani occasio optima esset oblata, ex peculiari illa commentatione pauca de Persarum dimicandi ratione dicendi, haec autem occasio prorsus praetermissa sit a Vegetio, in dubio restat, num omnino ei Celsi libellus notus fuerit, quod quidem exspectandum erat, cum Vegetius etiam ea, quae „involuta celabantur de re militari“ sese indagasse praedicet. Mihi autem persuasum est Vegetium Celsi librum non inspexisse, nam si inspexisset eodem modo III 10 (91. 11 sq. Lang.) 23. Celsi verba citare potuisset, sicut Catoniana ex derivatis quidem fontibus nota I 13. 15 attulit.

Quod vero Vegetium Catonis librum non ipsum, Celsi autem verba ne ab aliis quidem scriptoribus citata inspexisse iudicamus, ad hanc sententiam amplectendam magis etiam commovemur comparatione integrorum librorum et reliquiarum ex libris ceterorum scriptorum, quos nominatim inter auctores suos refert, Frontini et Paterni. Frontini quidem libri de re militari aetatem non tulerunt, sed habemus strategematicon libros, qui sine dubio a Frontino scripti sunt. Hos vero libros Vegetius legere debebat, scripturus epitomam rei militaris, praesertim cum Frontinus, postquam artem tacticam peculiari opere exposuit, hos libros ad supplendam et illustrandam rem suam addiderit cf. strat. praef. I. Quos si a Vegetio plane neglectos esse demonstrare possumus, omnino huius scriptoris libros eum in usum suum non convertisse, quamquam non pro certo dici poterit, tamen magnam probabilitatem habebit.

Unus quidem locus est Vegetianus (III 21), qui ad verbum paene exstat apud Frontinum strat. IV 7. 13. „Scipio Africanus dicere solitus est hosti non solum dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam“, sed quartum librum „strategemata“ a Frontino non profectum esse fere inter omnes constat, nam maxima pars exemplorum, quae ibi sunt, tantopere congruunt cum Valeri Maximi narratiunculis, ut ab interpolatore sequioris aetatis huc illinc translata esse videatur, etiam multa in quarto libro ex tribus prioribus repetita sunt, quod Frontinus ipse certe non fecit. Sed in sequentibus illud demonstrare conabimur, Vegetium compluribus locis optimam occasionem pauca ex Frontianis libris afferendi plane neglexisse, quod eo magis mirandum est, cum laudem diligentiae et fidei saepius sibi vindicare studeat. — Vegetius enim si sententiam, „clausis hostibus viam muniendam esse“, ne desperantes maiore cum vi pugnam redintegrent, exemplo Frontiano illustrare voluit, cur non adiit ad strat. II c. 6, ubi quattuor duces Romanorum commemorantur, qui hoc fecisse dicuntur? — Sexto deinde capite libri tertii apud Vegetium sermo est de occultandis in itinere consiliis, hic igitur, cum hanc sententiam apud Frontinum I 1. tredecim exemplis illustratam habeamus, et apud „diligentem et fidelem“ Vegetium unum certe exemplum exspectamus ex Frontino auctore suo desumptum, sed prorsus spe fallimur.

Item in quarto et vicesimo capite libri tertii Frontinianum exemplum expectamus, hic enim docet Vegetius, quomodo exercitus servari possit a quadrigarum falcatarum periculo. Tribulos enim (stimulorum genus ni fallor a Vegetio solo commemoratum) abici iubet, ut currentes quadrigae in tribulos incidentes deleantur „nam uno tantum adflicto aut vulnerato equo“ totus currus falcatus inutilis redditur. Apud Frontinum [*]) aliam rationem indicatam habemus, qua exercitus Romanus hostium quadrigas irritas fecerit. Cornelius enim Sulla contra Archelaum Mithridatis praefectum triplicem aciem instruxit et a postsignanis, qui in secunda acie erant palos innumeros in terram firme defigi iussit, appropinquantibus deinde curribus falcatis aciem antesignanorum recepit, et quadrigae aut implicabantur palis, aut Romanorum clamore perterritae in suos milites conversabantur. Hanc dico

[*]) Frontin. strat. II 3. 17.

rationem si Vegetius novisset et in epitomam suam recepisset, ut enim aliis locis complures rationes atque etiam infra „plura exempla et machinamenta adversum elefantos“ refert, ita et hoc loco eum de illa a Frontino commemorata ratione non taciturum fuisse credo, si quidem Frontini libros novisset.

Sed et quartum habeo exemplum, quo non solum probetur Frontini strategematicon libros a Vegetio neglectos esse, sed et demonstretur quem alium scriptorem in usum suum converterit. Capite enim nono libri quarti praecipitur a Vegetio, in oppidis quam maximam copiam nervorum debere esse, quia funibus nervinis onagri ballistae tormenta instruenda essent, at si in obsidione nervorum copia deficeret, mulierum crines abscindendos esse ad efficiendos funes, id quod illustratur exemplo matronarum Romanarum, quae cum in Capitolio a Gallis obsiderentur, crines suos pugnantibus viris obtulissent ad machinas reparandas. — Haec autem matronarum Romanarum commemoratio ineptissima est, nam anno 388 a. Chr. n. ne apud Graecos quidem tormenta aliaeve machinae in usu erant, nedum apud Romanos, qui totam artem poliorceticam a Graecis didicerunt. Sed qua est Vegetius temeritate in rebus historicis haec falsa commemoratio non magni est aestimanda, praesertim cum apud Julium Capitolinum [7]) haec sint „Praetereundum ne illud quidem est, quod tanta fide Aquilienses contra Maximinum pro senatu fuerint, ut funes de capillis muliebribus facerent cum deessent nervi ad sagittas emittendas, quod aliquando Romae dicitur factum, unde in honorem matronarum templum Veneri Calvae senatus dicavit.“ Haec autem Capitolini verba illud probant Vegetium ex aliis quam nominat libris rem suam hausisse, et quae ab aliis dubitanter et ambigue prolata sunt ea Vegetium pro re certissima retulisse. — — Frontini autem strat. I 7. 3 hic etiam neglexit, ibi enim demonstratur, quomodo Carthaginienses tonsarum mulierum crinibus usi sint.

Omnia autem quae hucusque disputata sunt satis probant, Frontini strategematicon libros a Vegetio plane neglectos esse, et inde, quod supra iam dubitanter indicavimus, maiore cum fiducia affirmare possumus, Frontini libros de re militari Vegetio non notos fuisse.

---

[7]) Maximinus junior cap. VII: Scriptores historiae Augustae ed. Herm. Peter. Lipsiae 1865 II pag. 27.

Cum sic igitur satis probabilibus paene argumentis iam demonstratum sit, Vegetium Catonis Celsi Frontini libros non inspexisse, nunc videamus, quid de quarto a Vegetio nominato auctore de Tarrunteio Paterno statuendum sit. Huius quidem integra scripta de iure militari ad nostram aetatem non pervenerunt, tamen tres loci Paterniani, qui exstant in digestis Justinianeis et apud Lydum de mag. I 9. et ad comparationem et ad iudicium de Vegeti Renati diligentia et fide maximo usui nobis sunt.

Cum vero et Dirksenii commentatio quae inscribitur „Der Rechtsgelehrte und Tactiker Paternus [8])“ unum ex his locis non multum curet, nos de hoc primo agamus. Paternus autem de antiquissimo Romanorum exercitu, qualem Romulus rex instituisse dicitur secundum Lydi graecam versionem haec docuit: *Ὁ Ῥωμύλος δὲ κουρίωνας τῶν ἱερῶν φροντιστὰς προεστήσατο, τοὺς αὐτοὺς καὶ κεντουρίωνας τῶν πεζικῶν ταγμάτων ὀνομάσας· τρισχιλίων γὰρ ὄντων πεζῶν ἀσπιδιωτῶν, ἑκάστης ἑκατοντάδος ἡγεμόνα προσθῆκεν, — ὡς εἶναι τοὺς πάντας ἑκατοντάρχους λ', καὶ τοσούτους δὲ μανιπλοῦς οἱονεὶ σημειοφόρους· ἐκ δὲ τῆς στρατιᾶς τριακοσίους σκουτάτους (ὡς Ῥωμαῖοί φασιν ἀντὶ τοῦ ἀσπιδιώτας) πρὸς φυλακὴν ἰδίαν ἀφώρισεν — προστέθεικε δὲ καὶ τριακοσίους ἱππότας ταῖς δυνάμεσιν Κελερίῳ τινὶ οὕτω καλουμένῳ τὴν φροντίδα τούτων παραδούς· ταύτῃ συνεκδοχικῶς ἅπας ὁ στρατὸς κελέριοι τότε προσηγορεύθησαν· ἐν τρισὶ δὲ ἑκατοντάσι συναγομένης τῆς ἱππικῆς δυνάμεως τρισὶν ἐπωνύμοις αὐτὰς διέστειλε Ῥαμνίτας καὶ Τιτίους ἰστῶν καὶ Λουκέρας.* Quorum omnium apud Vegetium nihil invenitur, quamquam Romuleae legionis mentio facta est verbis „Tribunus autem vocatur ex tribu quia praeest militibus quos ex tribu primus Romulus legit.“ Veg. II 7. Paterni autem locus si Vegetio notus fuisset, non dubito, quin et de Romulea legione II 7 pleniora et uberiora dixisset et infra II 8 de vetustissimo centurionum numero pauca addidisset. — Priusquam vero ad comparationem reliquiarum Paternianarum cum Vegetiano opere accedamus, de Dirkseniana

[8]) Dirksen, hinterlassene Schriften ed. Sanio. Leipzig Teubner 1871 II 412—433.

commentatione pauca dicenda sunt. Huius autem verba, quae ad nostram rem faciunt haec sunt pag. 423: Der Plan der Schrift des Vegetius war wesentlich verschieden von jenem der Arbeit des Paternus, die rechtlichen Grundsätze, die bei der Bildung gleichwie bei der Leitung und Auflösung einer Heeresabtheilung zur Verwendung kamen, mochten sie die Interessen des Staates angehn oder jene der einzelnen Personen, scheinen in dem Werke des Paternus ausschliesslich besprochen zu sein, von dieser Ausführung konnte Vegetius nur beiläufig zur Erklärung einzelner Punkte Gebrauch machen, da ihm ein andrer Stoff zur Behandlung vorlag. Es war diess nämlich die Entwicklung der technischen Regeln für die Bildung und Leitung des Landheeres gleich wie der Flotte, ferner für die Disciplinirung und Verpflegung der Mannschaften, für die Ausführung gewisser Kriegsoperationen, seine Darstellung musste ein wesentlich abweichendes System verfolgen, und die Vergleichung derselben mit jenem des Paternus bietet in der That nicht eigentlich Berührungspunkte dar. Pag. 427 sic pergitur: Stil und Ausdruck (Vegeti) verrathen nicht die mindeste Uebereinstimmung mit der Darstellung in den entschieden ächten Fragmenten dieses Juristen, welchem insbesondere die raisonnirende Art des Vortrages von Vegetius fremd ist, und überdem weisen einzelne im Zeitalter der Antonine noch nicht geläufige Bezeichnungen auf die Benützung eines Gewährsmannes aus späterer Zeit. Ein solcher konnte seine Auseinandersetzungen mit der von Vegetius wiedergegebenen Phrase beginnen „Illud vero divinitus institutum ab antiquis est“ Veg. II 20. Pag. 428. autem haec leguntur: Vergleicht man genauer die Ausführungen des Vegetius (II 7—12), so ergiebt sich allerdings eine Anzahl von Zusätzen aus der Praxis der Militairverfassung späterer Zeit (idque praecipue in iis, quae de centurione primi pili dicuntur) allein der Kern des Ganzen stellt sich sowohl von Seiten des Inhalts als auch des Redeausdruckes als ein Material dar, für welches die Autorschaft des Paternus ganz füglich kann in Anspruch genommen werden. Hisce autem quae Dirksenius protulit non omni ex parte assentimur. Primo enim secundum Dirksenii verba „Es war dies nämlich etc.“ Vegetius multo plus praestitit, quam revera fecit. Nullo enim alio consilio epitomam rei militaris confecit, admonitus ab ipso imperatore, nisi ut de-

monstraret, quomodo res militaris sua aetate maxime pessumdata restitui posset. Ergo primo libro — quem pluribus annis ante reliquos tres imperatori „tamquam famulum" se obtulisse testatur (II prol.) — docet quibus exercitiis tiro imbuendus sit — et legionarius et auxiliaris, — ut ad omnia belli pericula paratissimus sit; altero deinde libro antiquam legionis ordinationem exponit, tertio docet quid in expeditione et in ipso praelio faciendum sit, quarto denique breviter machinas et rationes indicat, quibus urbes et oppugnantur et defenduntur, supplementi quasi loco in altera quarti libri parte praecepta addidit ad artem navalem spectantia. — Regulas autem de formando et ducendo exercitu pedestri equidem apud Vegetium non inveni, constat enim inter omnes Romanorum exercitus ex legionibus constitisse, sed totidem fere semper copias auxiliares cum legionibus coniunctas fuisse; de auxiliorum autem ordinatione apud Vegetium altum silentium est. — Praeterea tantum absum ut elocutionem „Illud vero divinitus" etc. ex incerto quodam auctore sequioris aetatis haustam esse contendam, ut eam referam ad ea, quae Vegetius ipse rhetorico stilo indulgens scripsit cf. pag. 1. Denique autem secum pugnantia Dirksenius locutus est, cum pag. 427 diceret „Stil und Ausdruck verrathen nicht die mindeste Uebereinstimmung" etc. „es finden sich in der That wenig Berührungspunkte" et paulo post: „Der Kern des Ganzen" etc. quid igitur Dirksenio persuasum fuerit prorsus nescimus, ita ut denuo breviter rem pertractare debeamus.

Ordinationem [9]) igitur legionis secundum „normam iuris militaris" Vegetius exponere vult, et cum Paternum „diligentem iuris militaris adsertorem" inter auctores suos nominet, probabiliter conicere possumus eum „diligenter et fideliter Paternum secutum esse, et quamquam multa „obscuriora et impolitiora" difficultati ipsius rei imputanda sunt, tamen ut ea quae prolata sunt plene et recte commemorata sint nostro iure flagitare possumus. Sed propter paucitatem Paternianorum locorum duabus tantum in rebus quae ad ordinationem pertinent iudicare possumus, num Vegetius recta protulerit, de immunibus legionariis et de commeatu militibus dando. Prior de immunibus Paternianus locus (Dig. 50.

---

[9]) ordinatio hoc loco apud Vegetium = Organisation, aliis autem locis de acie instructa usurpata est = Aufstellung.

6. 6.) hic est. „Quibusdam aliquam vacationem onerum graviorum conditio tribuit, ut sunt mensores, optio, valetudinarii, medici capsarii et artifices, et qui fossam faciunt, veterinarii, architectus, gubernatores, naupegi, ballistarii, specularii, fabri, sagittarii, aerarii, baculorum structores, carpentarii, arcuarii, plumbarii, ferrarii, lapidarii et hi qui calcem coquunt, et qui silvam infindunt, qui carbonem caedunt ac torrent; in eodem numero haberi solent lanii, venatores, victimarii et optio fabricae et qui aegris praesto sunt; librarii quoque qui docere possint et horreorum librarii et librarii depositorum et librarii caducorum, et adiutores corniculariorum et stratores et pelliones et custodes armorum et praeco et bucinator; hi quoque omnes inter immunes habentur.“ Quadraginta quinque hic enumerantur officiales, qui cum munere aliquo in legione fungantur liberati sunt ab civium Romanorum oneribus. Sed ut Dirksenius recte observavit duo horum immunium ordines distinguendi sunt, priores enim triginta, quia pernecessarii in legionibus sunt, liberabantur a muneribus „aliquam vacationem munerum graviorum conditio tribuit“, reliqui quindecim usu tantum et consuetudine „in eodem numero haberi solent.“ Omnes autem hi quadraginta quinque arma non gerebant. Apud Vegetium ex hisce 45 immunibus duodecim tantum commemorantur, mensores, optiones, librarii II 7 medici II 10 artifices II 25 fabri structores carpentarii ferrarii II 11 ballistarii II 2 praeco I 25 bucinator II 7 — et Vegeti septimum caput alterius libri solum spectantes mensorem optiones librarios bucinatorem tantum commemoratos reperimus inter immunes. At Vegetius „secundum praesentes matriculas“ eos tantum enumerat, qui propter maiorem qua fruuntur dignitatem liberati sunt ab oneribus militum gregariorum! Audio, alio igitur loco commemorandi erant immunes illi, qui quamquam ipsi arma non gerebant, in legionibus tamen pernecessarii erant, cum curare deberent, ut omnia quibus dimicantibus militibus opus erat semper parata essent. Artifices ergo illi, qui apud Paternum sunt, a Vegetio commemorandi erant in capite undecimo libri alterius! — nec vero omnes, nam fortasse posterioribus temporibus non tam multi artifices necessarii erant in legionibus. An vero Vegetianae legiones et cornuariis tubariis vel plumbariis carere poterant, praesertim cum mattiobarbulis sive plumbatis libentissime pugnaretur? sed hi quoque a Vegetio non commemorati sunt.

Sine dubio ergo Vegetius haec omnia neglegenter retulit. At videndum est, quinam illi principales sive principia sint, qui privilegiis muniantur. (Veg. II 7.) Si essent illi milites quibus in alios imperium erat mirandum sane foret, cur centuriones quingenariarum cohortium et omnes decani centurionesque equitum silentio praetermissi sint, nam munifices certe hi omnes non fuerunt; item quid de circitoribus (III 8) statuamus nescimus, nam cum secundum praesentes matriculas referantur principales, nullo modo hic „militiae gradus" omitti debebat.

At fortasse si discesseris a Tribunis Ordinariis Augustalibus Flavialibus principales illi sunt, qui in legione aut cohorte aut centuria munere quodam funguntur, eaque de causa liberati sunt a gregariorum militum officiis! Sed ne hoc quidem concedi potest, minime enim intellegitur cur victimarium optionem valetudinarii cornicultariorum adiutores cornicularios Vegetius non enumeraverit (hi enim et apud Paternum sunt) aut reliquos etiam omiserit, quos munere functos esse scimus secundum tabulam, quam Kellermannus [10]) pag. 24 dedit, collectam et compositam ex inscriptionibus de vigilum Romanorum cohortibus, quam tabulam L. Lange hist. mut. p. 56 ita immutavit, ut ad omnes Romanorum copias referri possit.

His autem difficultatibus omnino nos expedire non possumus, prorsus enim nescimus quid Vegeti principales milites sibi velint. Illud autem apparet Paterni locum de immunibus militibus a Vegetio epitomatum non esse; et quonam iure Dirksenius contendat totam Vegeti expositionem a capite septimo usque ad duodecimum enucleatam et epitomatam esse e Paterni libris de iure militari, equidem non video, nam illud argumentum, quod inter immunes apud Paternum „librarii qui docere possent, librarii horreorum, librarii depositorum, librarii caducorum commemorantur", Vegetius autem compluribus capitibus de diversis in legione scholis, de notandis obsequiis etc., de donativis apud signa sequestranda etc. agat, mihi quidem valde debile videtur esse; quod vero in omnibus his Vegetianis et propter res narratas et propter sermonem — quamquam ipse Vegetio tumidum dicendi genus tribuit — Paterniana

---

[10]) O. Kellermann. Vigilum Romanorum latercula duo Coelimontana Romae 1835.

vestigia invenire voluit, mirandum sane est; contra Vegetius ut in illis de immunibus legionariis ita et in ceteris rebus minime diligenter auctores suos secutus videtur esse, sed aut ex aliis scriptoribus aut ex suo rem hausisse, eamque ita protulisse, ut sufficeret ad adumbrandam legionis ordinationem, nec vero ad eam plane perfecteque pernoscendam.

Tertius locus Paternianus exstat in Digestis 49. 16. 12. 1. „Paternus quoque scripsit debere eum qui se meminerit armato praeesse parcissime commeatum dare, equum militarem extra provinciam duci non permittere nam in disciplina Augusti cavetur „„Etsi scio fabrilibus operibus exerceri milites non alienum esse, vereor tamen, si quidquam permisero quod in usum meum aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur."" Huic respondent Vegetiana verba II 19. „Tunc enim difficile commeatus dabatur" etc. Auctore Dirksenio hac quidem locorum comparatione supersedere possumus, cum uterque locus ex eadem Augusti constitutione exscriptus sit. Attamen si hoc factum est, unde tandem tanta locorum diversitas? apparet enim apud Vegetium multo plus dici quam apud Paternum, milites enim „instituti obsequiis deputati" apud Paternum non occurrunt, utilitates privatae quidem congruunt fortasse cum „piscatu et venatione", sed „opera fabrilia" apud Vegetium non commemorantur. Utut autem haec res se habet, nullo modo Vegeti II 19 epitomata sunt ex Paterniano loco. Vegetium vero diligentius et fidelius Augusti constitutiones exscripsisse quam Paternum persuadere mihi non possum, eodem enim loco, quo haec Paterniana leguntur et ex Marci libris de re militari fragmentum est de officiis tribunorum vel eorum qui exercitui praesunt, quae autem ibi sunt officia commemorata, ea ex parte tantum Vegetius praefecto legionis et praefecto castrorum tribuit.

Sic igitur ex omnibus quae hucusque disputata sunt apparet Vegetium nec diligenter nec fideliter ex optimis quibusque scriptorum libris epitomam suam redegisse, verisimillimum autem esse, eum sequioris aetatis scriptores secutum esse, nam quae orationis diversitas in initio a nobis commemorata est, ita explicari etiam potest, ut dicamus Vegetium in capitibus plerumque ea tantum indicasse, quae ad rem faciant, in praefationibus autem et epilogis nimio ornandi studio ductum esse, quo magis opus suum im-

peratori commendaret. Catonis autem Celsi Frontini Paterni nominibus eo consilio usus videtur esse, ut ipse doctrina excelleret atque ut aequales, qui explorare aut nolebant aut non poterant, quemadmodum ex antiquis libris epitoma Vegetiana congesta sit — incitamentum legendi inde caperent. Itaque libentissime iudicium quod O. Schneider de censione hastaria [11]) pag. 37 de Vegetio tulit uostrum facimus „Flavius Vegetius Renatus tantum abest ut dilegentem et fidelem quem promisit laborem praestiterit, ut temere et sine ulla iudicandi acie ea quae in antiquorum libris scriptorum dispersa sunt collegerit, adeo ut impedimento potius sit ac saniori et accuratiori cognitioni officeret nedum compensare quam in his iacturam fecimus, ullo modo posse videatur.“

Sic iam haec nostra quaestio Vegetiana absoluta foret, nisi conjectura, quam L. Lange in editione sua Hygini gromatici pag. 63. ad Vegetium protulit, refellenda esset. Miratur enim Langius quod Flavius Vegetius Renatus ne fama quidem Hygini nomen acceperit, cum loci quidam proderent Hyginum a Vegetio expilatum esse. Et cum Langius apud Joannem Sarisberiensem haec invenisset „Artem militarem, si quis ediscere voluerit adeat Catonem Censorium, legat et illa, quae Cornelius Celsus, quae Julius Hyginus, quae Vegetius Renatus cuius eo quod elegantissime rei militaris artem tradidit, licet exempla praestrinxerit plura inserui, legat inquam quae illi posteris praescribenda duxerunt“ — quae certe ad Vegeti imitationem ut Langius putavit scripta sunt, in eo autem discrepant, ut pro Frontino Julius Hyginus commemoratus sit — non dubitavit Vegeti I 8 ita commutare ut legeretur „quae Cato ille Censorius — quae Cornelius Celsus quae Frontinus quae Hyginus perstringenda duxerunt“ etc. Sarisberiensi autem codicem tribuit Langius, in quo Hygini nomen — nam verba „quae Hyginus“ propter *ὁμοιοτέλευτον* omissa a librariis — in margine adscriptum esset. Et sane quidem primo oculorum obtextu valde probabilis videtur haec coniectura, attamen mihi secus videtur, nam et Lydi de mag. I 47 locus sine dubio ad Vegeti imitationem scriptus est: *μάρτυρες Κέλσος τε καὶ Πάτερνος καὶ*

---

[11]) Hunc librum frustra e compluribus bibliothecis deposci ea ergo tantum novi Schneideriana, quae L. Lange in historiam mutationum recepit cf. hist. mut. p. 43 n. 13.

Κατιλίνας — οὐχ ὁ συνωμότης ἀλλ' ἕτερος — Κάτων πρὸ αὐτῶν ὁ πρῶτος καὶ Φροντῖνος μεθ' οὓς Ῥενάτος Ῥωμαῖοι πάντες, hic enim etiam Cincii nomen, qui complures libros de re militari teste Gellio scripsit, omissum est et quod Catilinam Lydus nominat nostrae sententiae non repugnat, cum *οὐχ ὁ συνωμότης ἀλλ' ἕτερος* verba addita sint. Ergo si revera Vegetius scripsisset „quae Frontinus quae Hyginus perstringenda duxerunt" nullus dubito, quin et Lydus Hyginum nominavisset. Et si recte disputavimus de Catone Celso Frontino Paterno a Vegetio ostentandi tantum causa citatis, ipsa Hygini commemoratio scrupulum inicere debebat, num revera Hygini libellus de munitionibus castrorum ei notus fuerit. Contra cum quattuor loci exstent apud Vegetium ad verbum paene ex Hygino desumpti, illud probatur Vegetium etiam inter illos scriptores habendum esse qui summo studio evitarunt eos scriptores nominare quos imprimis expilaverunt.

In fine autem huius disputationis liceat nobis praeter locos Hygianos, quos iam Langius monuit et alios paucos addere, quos „apud diversos auctores et historicos" invenimus persimiles Vegetianis locis. Hoc enim etsi parvulo spicilegio probetur, quod supra diximus, Vegetium ex sequioris aetatis scriptoribus rem suam hausisse, nam quae sunt Ciceronis et Livii verba ea ex grammaticorum libris et historicorum epitomis cognoscere potuit.

H y g i n. § 57 Omni modo evitari debet ne mons castris immineat per quem supervenire hostes aut prospicere possint — ne vicini fluminis torrentis subita tempestate castra inundata intereant.	Vegetius III 8 (81. 13) Cavendum quoque ne subitis tempestatibus campus in quo manendum est soleat inundari. I 22 (24. 17) Cavendum etiam ne mons sit vicinus aut altior qui ab adversariis captus possit officere. Considerandum ne torrentibus inundari consueverit campus et hoc casu vim patiatur exercitus.
H y g. § 56. Porta praetoria semper hostem spectare debet.	I 23 (25. 3) Porta autem quae appellatur praetoria aut orientem spectare debet aut illum locum qui ad hostes respicit.

Hyg. § 49. Fossis, quibus latitudo dari debeat ad minimum pedum quinque, altum pedes tres.

Florus III 8. (I 43 Halm.) Cibum puer a matre non accipit nisi quem ipsa monstrante (funda) percusserit.

Florus II 18. 10. (I 34. 10) Quippe adsiduis et iniustis et servilibus maxime operibus obtriti fere plenius vallum quia arma nescirent luto inquinari qui sanguine nollent iubebantur.

Livius II 44. Aeternas opes esse Romanas nisi inter semet ipsi seditionibus saeviant. Id unum venenum labem civitatibus opulentis repertam, ut magna imperia mortalia essent.

Livius XXII 43. Id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare praecipue futurum erat, cum aciem dirigerent ipsi aversi terga tantum adstante vento, inoccaecatum pulvere effuso hostem pugnari.

Liv. XXII 46. Hispano punctim magis quam caesim adsueto petere hostem.

Caesar B. G. II 30. Nam plerisque hominibus Gallis prae magnitudine suorum brevitas nostra contemptui fuit (Hi au-

III 8 (82. 12) Fossa percutitur lata pedes quinque alta tres.

I 16 (18. 10) Fundarum usum primi Baliarium insularum habitatores et invenisse et ita perite exercuisse dicuntur, ut matres parvos filios nullum cibum contingere sinerent, nisi quem ex funda destinato lapide percusserint.

III 10 (92. 3) Scipio Africanus omni opere fossis faciendis ita diligenter exercuit (exercitum), ut diceret fodientes luto inquinari deberi qui madere hostium sanguine noluissent.

III 10 (91. 2) Nulla enim quamvis minima natio potest ab adversariis deleri, nisi propriis simultationibus se ipsa consumpserit.

III 14 (95. 22) Ordinaturus aciem tria debet ante prospicere solem pulverem ventum, ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hostium adiuvat tela, pulvis a fronte congestus oculos implet et claudit.

I 12 (15. 16) Praeterea non caesim sed punctim ferire discebant.

I 1 (5. 18) Quid enim adversum Gallorum multitudinem paucitas Romana valuisset? Quid adversus Germanorum

tem Galli ex Cimbris Teutonisque procreati erant).

Cicero de harusp. resp. 9 § 19. Quam volumus licet patres conscripti ipsi nos amemus, tamen nec numero Hispanos nec robore Gallos nec calliditate Poenos nec artibus Graecos — superavimus.

Paulus epitome p. 148 ed. Müller. Minotauri effigies inter signa militaria est, quod non minus occulta esse debent consilia ducum quam fuit domicilium eius labyrinthus.

proceritatem brevitas potuisset audere?

Hispanos quidem non tantum numero sed et viribus corporum nostris praestitisse manifestum est Afrorum dolis atque divitiis semper impares fuimus. Graecorum artibus prudentiaque nos vinci nemo dubitavit.

III 6 (75. 11) Ob hoc veteres Minotauri signum in legionibus habuerunt, ut quem ad modum ille in intimo et secretissimo labyrintho abditus perhibetur, ita ducis consilium semper esset occultum.

Haec autem omnia me movent ut, quamquam non facio cum Barthio [12]) qui epitomam epitomae Vegetianae hodie superesse statuit — tamen id contendam Vegetianam epitomam ex epitomis diversorum scriptorum congestam esse.

---

[12]) advers. XXVII cf. Lang. IX nota. Fabricius bibliotheca latina ed. Ernesti III 173.

II.

De acie secundum Flavii Vegeti Renati praecepta instruenda quaestio.


De acie scripturis nobis, quae quomodo instruenda sit, Vegetius tribus locis docet, nonnulla praemittenda videntur de Romanorum arte tactica. Omnes viri docti inter se consentiunt vetustissimam Romanorum aciem ad phalangis similitudinem fuisse ordinatam, postea vero, Camilli fere tempore triplicem manipularem aciem hastatorum, principum, triariorum esse institutam. Haec vero triplex acies manipularis per complura saecula apud Romanos in usu mansit, donec a C. Mario tota Romanorum res militaris prorsus alio modo instituta est. C. Marius enim, cum consul anno 107 a Chr. n. ad bellum Jugurthinum delectum haberet „non ex more maiorum neque ex classibus, sed uti cuiusque libido erat, capite censos plerosque“ [13]) milites scripsit, hucusque nempe cives tantum Romani ex quinque census classibus in legionibus stipendia meruerant. — Postea autem idem Marius quartum consul, ut contra Cimbros Teutonosque prospere bellum gerere posset, totam priorem exercitus ordinationem sustulit et aciem manipularem cum acie cohortium commutavit. Germani enim ante Marium ea de causa tam saepe Romanos vicerant, quod primo vehementissimo impetu in hastatos et intervalla manipulorum irrumpentes totam aciem turbaverant. Itaque quo melius resistere possent Romani primo vehementissimo impetui, ternos manipulos — singulos hastatorum principum triariorum — coniunxit et triplici acie sublata

[13]) Sallust. Jug. c. 86.

— cohortes decem formavit, simul autem milites translocavit ita, ut triarii probatissimi milites in primis ordinibus pugnarent. Cum vero coniunctis etiam manipulis frons cohortis perexigua, velitum autem, qui prius intervalla compleverant, contra Germanos nullus usus esset, velites omnino e legione Marius summovit, sed numero reliquorum militum legionariorum duplicato cuique cohorti sexcentos milites tribuit, eosque ita ordinavit, ut sexaginta in fronte starent et decem ordines in latitudine essent. Marium vero aquilam proprium signum legioni tribuisse, nova arma instituisse novam onerum ferendorum rationem invenisse, in transcursu monuisse satis habeo.

Simul autem cum cohortium constitutione, quae, postquam Marius de Germanis splendidissimas victorias reportaverat, ad omnes Romanorum exercitus translata est, id quoque effectum est — quod per omnes deinde aetates mansit et in disputatione de Vegetiana legione maximi momenti nobis erit — ut omnes milites legionarii milites gravis armaturae essent. Equites qui iam in bello Jugurthino milites legionarii non fuerant a Mario legionibus non tribuebantur.


Haec autem acies per cohortes ordinata posterioribus temporibus magis exculta, a C. Julio Caesare ad summam perfectionem provecta est. Caesar enim et in Gallico bello et magis deinde in bello civili prout locus et hostium virtus poscebat, non solum simplicem — ut Marius — instruxit aciem sed et duplicem [14]) et quadruplicem [15]) saepissime autem triplicem; haec vero triplex acies singularum legionum ita erat instructa, ut quaternae optimae cohortes in prima acie, cohortes ternae in secunda et tertia acie ponerentur



[14]) Caes. B. G. III 67.

[15]) Caes. B. C. III 89. 93. B. Afr. 81 cf. Lange hist. mut. p. 16 n. 9.

Sic igitur cum illis commodis, quae acies cohortium per se habebat, illud quoque coniunctum est, quod maxime laudabatur in triplici acie manipulari, nempe ut defessis integri milites succedere possent. Attamen haec triplex cohortium acies non multo plus centum annos valuit, immutari enim debebat, cum prima legionis cohors non solum dignitate sed etiam numero militum reliquas superaret. Cuius rei prima quidem vestigia iam apud Caesarem inveniuntur, qui (B. G. V 15) primam cohortem cum maiore vi commemorat, sed quod duplici centuriarum numero primae cohortes formabantur a cohortibus praetorianis ad legiones Hadriani demum tempore translatum videtur esse. Quo autem modo acies Romanorum instructae fuerint inde ab Augusti principatu in bellis, quae contra barbaros gerebantur, a nullo scriptore claris verbis indicatur, sed quod legiones ad barbarorum pugnandi cousuetudinem et suam aciem accommodaverunt et magis magisque a triplici cohortium acie ad phalangis instructionem relapsae sunt, quamquam hoc non pro certo dici potest, tamen maximam verisimilitudinem habet, cum Graecorum scriptores legiones voce φάλαγγος designent. Sic igitur destitutis nobis omni paene notitia de Romanorum arte tactica sequioris aetatis, maximi momenti sunt, quae Arrianus in peculiari sua commentatione de acie contra Alanos instructa dixit, et quae Flavius Vegetius Renatus tribus locis (II 6. II 15. III 14. sq.) de ordinanda acie docuit. Quod vero et Arrianus vocem φάλαγξ usurpat de legione satis argumento est legiones Arriani aetate ad phalangis similitudinem in acie instructas esse. Itaque si opinione non praeiudicata secundum Vegeti praecepta II 6. aciem instruimus, singulas cohortes ita collocabimus sicut hac tabula adiecta demonstratur.



Decem enim cohortes in duabus aciebus locandae sunt et cum de partitione primae sive milliariae cohortis nihil dicatur, hoc uno tantum modo legionis aciem instruere possumus; unde enim Na-

stius [16]) (pag. 139) qui totam hanc aciem perverse Augusti tempori adscripsit notitiam hauserit intervalla inter singulas cohortes — et inter duas partes cohortis milliariae — fuisse dimidio minora quam frons cohortium erat nescio, et argumentum quod affert, intervalla minuenda esse, quia duae tantum cohortium acies instruerentur sane ridiculum videtur esse. — Quid vero de equitibus a Vegetio singulis cohortibus tributis statuendum sit, post videbimus, nam priusquam haec omnia longius persequamur, de tertio loco Vegetiano III 14 nonnulla dicenda sunt, cum Nastius et post eum et Langius et Marquardtius apud Vegetium III 14 eandem aciem descriptam esse putaverint, atque illam contra Alanos instructam, nobis autem secus videatur. Sed quo melius intelligantur, quae contra Nastium dici possunt, totus ille locus adscribendus est. Nastius pag. 147 sq. haec habet

Arrianus	**Vegetius**
Die Bogenschützen stellen sich auf die Spitzen der auf den beiden Flanken liegenden Hügel und schiessen ihre Pfeile über die vor ihnen auf dem Abhang stehenden schweren Cohorten. Zwischen den Hügeln stehen die Legionen.	
Die Legion steht auf einer Tiefe von 8 Mann und in geschlossener Ordnung. Diejenigen, welche das Pilum haben, stehen in den ersten vier Gliedern (aa),	Der Kriegsordnung nach machen die alten und geübten Soldaten, welche man vor Zeiten principes nannte, die erste Ordnung. (aa)
in die folgenden vier Glieder kommen die mit Lanzen bewaffneten. (bb)	Die zweite Ordnung besteht gleichfalls aus guten Leuten, die mit vollständigen Harnischen und Lanzen bewaffnet sind und vor diesem Hastaten hiessen.
Man setzt ein neuntes Glied	Hinter diese stellet man wie-

[16]) Nast.: Römische Kriegsalterthümer. Halle 1782.

von Bogenschützen, bestehend aus Nomaden etc. (cc)

Wenn das Fussvolk also gestellet ist, so defiliren alle Bogenschützen zu Pferd hinter die Armee und stellen sich nahe den Legionen, um ihre Pfeile über diese wegzuschiessen. (ee)

Der Platz für die Maschinen ist auf beiden Hügeln und hinter der ganzen Armee. (ff)

Die übrige Reiterei formirt sich in 8 Corps, 4 stellen sich hinter die Hügel zur Rechten und Linken, die übrigen 4 formiren auf eine gewisse Entfernung eine Linie hinter den Legionen. (gg)

Auf ein gegebenes Zeichen spielen die Maschienen, die Bogenschützen überschütten den Feind mit Pfeilen und Wurfspiessen, hauptsächlich diejenigen auf den Hügeln. Es ist nicht wahrscheinlich, dass er aushalte. Im Falle er dennoch mit seinen Escadrons auf die schwere Infanterie vordränge, so muss das zweite und dritte Glied an das erste anschliessen und so den Feind erwarten, indem man den Pferden die

derum eine dritte und sehr leicht bewaffnete Klasse, die aus lauter jungen Bogenschützen bestehet. (cc)

Auf diese folgt eine vierte Klasse, die aus den leichtesten Schildträgern, den jüngsten Bogenschützen und andern Soldaten, die mit Wurfspiessen am besten zu werfen wissen, zusammen gesetzt war. (ee)

In das fünfte Treffen setzte man die Kassen und Handballisten, die Stab- und Handschleudeser.

Die sechste Klasse besteht aus den handfesten Soldaten. Sie sind mit grossen Schilden und Harnischen von Fuss bis auf den Scheitel bewaffnet und stehen hinter allen. (gg)

Wenn das Fussvolk in Schlachtordnung gebracht ist, so stellt man die Reiterei auf die Flügel.

Während dem die zwo ersten Ordnungen auf ihrer Stelle verbleiben, rücken die von der 3. und 4. mit ihren Wurfspiessen vor die Spitzen des Kriegsheeres. Wenn sie den Feind in die Flucht bringen können, so verfolgen sie ihn mit Beihülfe der Reiterei. Wenn sie aber im Gegentheil zurückgetrieben werden, so ziehen sie sich durch die ersteren Ordnungen zurück und sobald es zum Degen und

Spitzen der Pilen vorhält. Das 4. Glied wirft die seinigen mit Nacbdruck auf den Feind und so gleichfalls die Soldaten der übrigen Glieder ihre Lanzen. Wenn man sieht, dass der Feind die Flucht ergreift, so öffnen sich die Legionen, die Reiterei rückt vor die Fronte und verfolgt den Feind.

Pilum kommt, wie man sagt, so übernehmen die zwo ersten Ordnungen das Gefecht.

Contra Nastium, qui et ex Arriani et ex Vegeti libris attulit verba, quae equidem apud neutrum invenire potui, haec monenda sunt.

I Arrianus § 15 (pag. 251 v. 34) [17]) octo ordines militum gravis armaturae claris verbis deposcit, [18]) Vegetius autem III 14 omnino sex tantum ordines flagitat, quorum priores duo gravibus armis utuntur, nam tertius ordo „disponitur de armaturis velocissimis“. Quae autem Nastius in annotatione pag. 149 dixit „Die Anzahl der Glieder einer jeden Ordnung bestimmt Vegez nicht, im folgenden Kapitel aber lehrt er den Raum berechnen, den eine gegebene Mannschaft in einem Glied zu 3 und 6 Gliedern gestellt einnimmt, daraus ist zu schliessen, dass er eine Ordnung der schweren Waffen von 3 Gliedern und beide zusammengenommen von 6 Gliedern haben will — prorsus falsa sunt, ordo enim Vegetio idem est atque nobis „Glied“ neque ex iis, quae Vegetius de podismi mensura docuit, concludi potest cum Nastio sex ordines gravis armaturae ponendos esse, hi enim sex ordines quadraginta duo pedes, cum „ordo ab ordine sex pedibus a tergo in latum distare“ debeat, totam igitur aciei Vegetianae latitudinem, occuparent, ita ut ferentariis sagittariis funditoribus triariis locus non esset, — nec credi potest ordines gravis armaturae ita confertos stetisse, ut in quattuordecim pedibus sex ordines locati essent — ipsis enim militibus neque accedendi neque recedendi spatium fuisset, et tertius et quartus ordo difficile ad provocandum

---

[17]) Arrianus ex rec. Dübneri et Mülleri Paris Didot 1846. cf. etiam ed. Hercher Aeliani scripta minora 1854.

[18]) τετάχθων δὲ ἐπὶ ὀκτὼ καὶ πυκνὴ αὐτοῖς ἔστω ἡ σύγκλεισις.

hostem exire et multo difficilius pulsi ab hostibus ad loca sua se recipere potuissent.

II Apud Arrianum omnes pedites legionarii in octo prioribus ordinibus locati sunt, apud Vegetium contra tertio gravis armaturae ordine tota acies clauditur. Triarios autem legionarios esse quisque concedet.

III Quae Nastius „ee“ literis significavit, equidem apud Arrianum non inveni — sunt quidem apud Arrianum ἱπποτοξόται, attamen hi non post legionarios pedites locantur, sed totam aciem claudunt; nequaquam autem „equites sagittarii“ respondent quarto ordini Vegetiano.

IV Machinae apud Arrianum in cornibus maxime, sed etiam post totam aciem peditum locantur, apud Vegetium interdum tantum carroballistae in quinto ordine ponuntur.

V Apud Vegetium denique totam aciem sexto ordine triarii pedites claudunt, apud Arrianum contra ἴλας et octo λόχους equitum habemus, quorum pars propius ad pedites accedit, pars quae remotior est, huc vel illud signo dato opem fert.

Haec autem satis demonstrant, aciem contra Alanos discrepare ab Vegetiana III 14 multis in rebus, quae eo explicari non possunt, quod acies contra Alanos regioni accommodata sit et contra equites tantum instructa, cum Vegetiana secundum generalem instructionis normam ordinata sit. Diversitate enim locorum non explicatur cur apud Vegetium inter ordines gravis armaturae tres ordines levis armaturae interpositi sint; praeterea apud Arrianum sex lochos [19]) non quattuor ut Nastius docuit — habemus post pedites locandos, Vegetius autem omnes equites in cornibus poni iubet.

Omnia igitur quae Arrianus de acie contra Alanos dixit nihil valent ad illustrandam Vegetianam aciem III 14. Sed est alia acies Vegetiana II 6. videamus num forte cum illa melius Arriani acies comparari possit! In hac autem quaestione maximo adiumento nobis est, quod bellum contra Alanos Hadriano imperatore gestum est, legionis autem ordinatio, quam Vegetius in altero libro exposuit, secundum ea quae L. Lange hist. mut. pag. 88 sq., docuit, nulli tempori melius tribui potest quam Hadriani aetati,

[19]) Arrian. pag. 252 v. 3. § 20.

omnia enim, quae Vegetius ad antiquam legionem refert, eiusmodi sunt, ut eorum origo ex Hadriani aetate repeti possit, id quod prae ceteris in equitatu legionibus restituto cernitur. De equitatu igitur legionario iam nobis agendum, praesertim cum antea (pag. 38) in transcursu tantum huius rei mentionem fecerimus.

Omnino autem tenendum est Arriani aciem et Vegeti ordinationem eidem tempori tribuendas esse.

Apud Arrianum equitum *ἶλαι* et *λόχοι* commemorantur, et cum antea (§ 4) *ἀπὸ τῆς φάλαγγος* equitum mentio fiat, *λόχους* autem Arrianus prope phalangem, id est legionem, poni iubeat, non dubitari potest, quin *λόχοι* sint *οἱ ἀπὸ τῆς φάλαγγος ἱππεῖς* et respondeant Vegetiano equitatui legionario, *ἶλαι* autem respondeant equitibus alaribus Vegetianis. Quantus vero numerus equitum unius legionis fuerit, Arrianus apertis quidem verbis non dicit, sed octo illi lochi uni legioni non omnes tribui possunt, cum acies peditum ex militibus totius quintaedecimae legionis et aliqua parte duodecimae legionis instructa sit, [20]) verisimillimum autem videtur esse sex lochos quintaedecimae legioni — singulisque lochis centum viginti equites tribuere, ita ut septingenti viginti equites in legionibus Arriani fuerint. Vespasianus enim imperator Josepho teste B. Jud. 3. 42. centum viginti equites cum legione arcte coniunxit, postea etiam Trajani aetate cohortes equitatae quingenariae centum viginti equites habebant. cf. Hyginum ed. Lange pag. 179. Centum autem viginti equites unum lochum formasse, cum nulli scriptorum loci repugnent, pro re paene certa affirmari potest, quae eo fit certissima, quod et illis septingentis viginti sex equitibus, quos Hadrianus secundum Vegeti II, 6. legioni tribuit, optime sex lochi efficiuntur, dummodo sex sint duces (*λοχαγοί*) reliqui septingenti viginti aut decuriones aut gregarii. — Vegetium enim septingentos viginti sex equites perverse inter cohortes legionis ita distribuisse, ut cum milliaria cohorte centum triginta duo equites, cum singulis reliquis sexaginta sex coniuncti essent, eo demonstratur, quod II 6 ubi sermo est de singularum

---


[20]) *ἡ πεζικὴ φάλαγξ ἡ πεντεκαιδεκάτη ὑπὲρ τὸ μέσον τοῦ παντὸς χωρίου (ἐχέτω) ὅτι πολὺ πλείονες πλήθει οὗτοί εἰσιν.*

cohortium in acie collocatione, de equitibus nihil dicitur, nemo autem putabit peditum aciem equitum turmis interruptam fuisse.

Sic igitur iam equites habemus in acie Vegetiana, quos ut contra Alanos factum est post aciem peditum collocare possimus; item facile inveniri potest, unde pedites sumendi, aeque confertis ordinibus locandi, atque octo illi phalangis ordines in acie ab Arriano descripta. Contra Alanos enim phalanx per bis quattuor ordines instruitur, in itinere autem, ubi per cohortes sine dubio legionarii ordinati sunt, εἰς τέσσαρας incedunt, ergo et octo ordines phalangis respondent duabus aciebus per cohortes instructis; cum vero apud Vegetium duas habeamus acies cohortium, et cum ad Hadriani tempus legionis antiquae ordinatio referenda sit, nonne inde sequitur singulas cohortes per quattuor ordines instruendas esse? at cum acies prima cohortem milliariam habeat, omnino igitur tria millia trecentos triginta milites, singuli priores quattuor ordines habent circiter octingentos triginta milites, quattuor autem posteriores ordines septingentos tantum, cum quinque cohortes quingenariae duo millia et octingentos fere bellatores habeant. Marquardtius autem (pag. 461) cum legionem Vegetianam per bis quattuor ordines in aciem deducat summa iniuria prioribus ordinibus 750, posterioribus 625 tantum milites tribuit, quingenariae enim cohortes Vegetianae non 500 sed 555 habent milites, ex quibus 50 decani 5 centuriones sunt, qui etiam in aciem deducendi sunt. Quod vero quattuor priores aciei ordines paulo porrectiores efficiuntur, non multum refert, nam secunda cohortium acies auxiliaribus copiis, si opus est, repleri potest. Auxiliares autem si totidem habemus atque pedites legionarios cum carroballistis suis ceterisque machinis, quid impedimento nobis est, quominus aciem instruamus omni ex parte simillimam ei, quam Arrianus contra Alanos instructam esse dicit, habemus enim sex lochos equitum legionariorum post aciem collocandos, habemus octo ordines peditum legionariorum, quorum quattuor Arriani κοντοφόροις respondent quattuor λογχοφόροις. Acies igitur a Vegetio sexto capite libri alterius descripta eadem est atque Arriani acies, quid vero de Vegetiana acie III 14 statuendum sit nunc videbimus.

De acie secundum Vegeti III 14 instructa Rückertius [21]) pàg. 38 pauca disseruit, haec vero dicit:

Die letzte Aufstellung der Legion, wie sie Vegetius III 14 beschreibt, unterlag der ungestümen und ungeschwächten Kraft der Barbaren. Denn sie war eben so unfähig zum festen Widerstande als zum raschen und kräftigen Angriff. — Hanc tabulam adiecit:




A cohors milliaria. B—E cohortes II—V. F—K cohortes VI—X.

Omnia autem quae Rückertius protulit absurdissima sunt, quibus enim causis ductus sit, ut hanc sibi aciei formam fingeret, equidem prorsus non video. Vegeti libros autem certe non accurate legit, quos si accurate legisset, certe milliariam cohortem non ita distribuisset, ut altera pars in dextro altera in sinistro cornu posita esset, compluribus enim locis Vegetius docet, quintam cohortem in sinistro cornu ponendam esse (II 15 „Quinta vero cohors sinistrum suscepit cornum," II 6 „sicut prima cohors in dextro, ita quinta in sinistro ponitur cornu"), de partitione vero milliariae cohortis nihil dicitur. Aeque falsum est per cohortes et intervallis interruptam hanc aciem instruere, cum in toto tertio libro Vegetiano cohortium non fiat mentio. Denique podismi mensurae repugnat acies hunc in modum instructa, nam pro quadraginta duobus pedibus, quos Vegetius toti aciei in latitudinem tribuit,

[21]) Rückert Römisches Kriegswesen Berlin 1850.

Rückertius octoginta quattuor pedes habere debet, si quidem duplicem aciem cohortium vult instruere, quam tabula sua significat.

Nos vero Vegeti praecepta secuti aliter aciem instruere non possumus, quam ut in campo mille passus longo, quadraginta duos pedes lato, decem millia militum in sex ordinibus, senis pedibus distantibus a tergo, ita conlocemus, ut primum ordinem principibus, secundum hastatis, tertium ferentariis, quartum scutatis expeditissimis et sagittariis iunioribus, quintum funditoribus, sextum denique triariis tribuamus, in quovis autem ordine mille sexcentos sexaginta sex milites ponamus, equites in cornibus, subsidia post aciem parata habeamus. Liceat hanc aciem lineamentis adumbrare; ex nostra sententia forma aciei Vegetianae III 14 haec est:



1. principes 2. hastati 3. ferentarii 4. scutati 5. funditores 6. triarii A subsidia gravis armaturae BB subsidia levis armaturae CC subsidia equitum.

Et haec quidem acies, quamquam ad Macedonicae phalangis similitudinem instructa est, id tamen servavit ex antiquo Romanorum more, ut singulis militibus ternis et senis pedibus distantibus aliquid virtutis tribueret, praeterea propter minorem latitudinem facilius moveri poterat, quam Macedonica phalanx.

Iam vero indagandum nobis est, cur Vegetius aciem de decem millibus militum instrui iubeat, ac deinde, qui factum sit, ut vetusta illa nomina militum legionariorum, in acie manipulari usitata, Varronis autem aetate iam antiquata [22]) hic usurpati inveniantur.

[22]) Varro de Lingua Latina V 89. (pag. 89 ed. Spengel) haec dicit: ea (nomina principum etc.) post commutata re militari minus illustria sunt.

Quod enim de decem millibus militum Vegetius aciem instrui iubet et paulo post III 15 pergit „ad hanc rationem sive viginti millia sive triginta peditum fuerint, iuxta mensurae podismum sine aliqua difficultate poterunt ordinari“ sane mirandum est, cum apud alios Romanorum scriptores copiarum multitudo nunquam bellatorum numero indicata sit, — id quod nobis quidem tritum atque vulgare est — sed semper aut legionum aut cohortium numero. Sed hanc etiam difficultatem expedire possumus. Attamen si decem illa millia militum unam legionem esse diceremus — cum ipse Vegetius III 1 doceat „Veteres in levioribus bellis unam legionem mixtis auxiliis, hoc est decem millia peditum et duo millia equitum, crediderunt posse sufficere“, et cum paulo post consulari potestati viginti millia peditum et quattuor millia equitum tribuat, consules autem teste Vegetio II 4 non amplius quam binas legiones ducant, — non recte res sese haberet, nam libera republica usque ad C. Marium legiones plerumque, si numerum rotundum indicare volumus, quina millia militum habebant, [23]) Vegetiana autem legio, decem cohortibus plena fundata non minus quam sex millia militum gravis armaturae habere debet; aeque falsum foret si de sex millibus militum gravis armaturae et quattuor millibus auxiliorum aciem Vegetianam III 14 instrueremus, tertii enim ordinis duae partes legionariis, una pars auxiliaribus tribuenda esset, — quod nemo certe probabit, cum etiam semper cum legionibus idem numerus peditum auxiliarium coniunctus fuerit; ergo legio Vegetiana mixtis auxiliis duodecim millia militum habet et instructis illis sex ordinibus mille passus longis supererunt nobis duo millia militum, qui post aciem in subsidiis tenendi sunt ad forfices cuneos globos serras formandos. Ex his autem duobus millibus, mille milites erant legionarii, mille auxiliares, nam „circa medias partes campi ex peditibus bene armatis debes habere lectissimos, de quibus cuneum facias — circa cornua autem de contatis loricatisque equitibus ad hoc reservatis et levi armatura peditum alas hostium circumvenire te convenit“. Bene autem armati sunt milites legionarii, levis armaturae milites sunt copiae auxiliares, nam „legionibus semper auxilia tamquam levis armatura iungebatur“. — Cum vero in acie Vegetiana III 14

---

[23]) cf. Marquardt pag. 308.

tres ordines gravis armaturae, omnino ergo quinque millia militum essent, reliqui mille milites legionis in subsidiis circa mediam aciem retinendi sunt, totidemque milites levis armaturae circa cornua aciei.

Haec igitur decem millium militum acies est acies unius legionis, ergo illa verba „viginti millia sive triginta millia peditum“ nihil aliud significant, nisi exercitum duarum aut trium legionum, per se enim patet ex quavis legione duo millia peditum in subsidiis retinenda esse. Quod vero trium legionum exercitus Vegetio maximus fere videtur esse, eo optima explicatur, quod etiam Traiano imperatore secundum Hygini § 3. (Lange pag. 121) tres legiones cum supplementis iustum exercitum formasse videntur.

His vero explanatis de principum hastatorum triariorum nominibus pauca addenda sunt. Langius [24]) enim et post eum Marquardtius [25]) Vegetio vitio verterunt, quod haec dudum iam antiquata nomina falso usurpavit. Veram horum nominum notionem Vegetius certe non novit, sed fama fortasse et auditione accepit, fuisse quondam in legionibus romanis tria genera militum gravis armaturae, hastatos principes triarios, et cum ipse aciem sic instrui doceret, ut tres ordines ex legionariis militibus, tres ex auxiliaribus constent, quid inde facilius fieri poterat, quam ut quasi ad doctrinam ostentandam vetusta illa nomina usurparet et tribus suis legionariorum ordinibus tribueret? Quod vero falso ad primum ordinem principum nomen transtulit ipso nomine factum est, et eo minus error fraudi nobis esse debet, quod secundus ordo qui spiculis lanceis armatus est, hastatorum nomen flagitare videretur cf. Lange hist. mut. § 3 n. 3.

Cum sic secundum Vegeti II 6 et III 14 praecepta aciem instruxerimus, restat ut de tertio etiam loco II 15 agamus, ex ipsa autem disputatione nostra apparebit, cur non prius ad hunc locum aggressi simus. Sed ut hic etiam disputandi rationem nostram servemus, primo — ut supra factum est, aliorum virorum de hoc loco sententiae refellendae sunt. Langius [26]) enim et post

[24]) Lange hist. mut. pag. 83.
[25]) Marquardt pag. 456 n. 2757.
[26]) Lange hist. mut. p. 82.

eum Marquardtius [27]) coniecerunt, aciem secundum II 15 instructam prorsus eandem esse atque illam II 14 descriptam. Langius haec docet pag. 83 n. 5. „Acies prima e quinque cohortibus legionariis composita (Veg. 2. 15) respondet ordini primo (Veg. 3. 14); acies secunda reliquas quinque cohortes legionarias complexa (2. 15) respondet ordini secundo (3. 14) ferentarii (2. 15) respondent tertio ordini, qui armaturas iaculatores sagittarios continet (3. 14); scutati et levis armatura (2. 15) respondent quarto ordini, qui scutatos sagittarios, mattiobarbulis pugnantes continet (3. 14); sagittarii funditores tragularii (2. 15) repositi sunt (3. 14) triarii denique (2. 16) respondent sexto ordini, quem firmissimi scutati formant (3. 14).“

Primo quidem oculorum obtutu omnia haec apte beneque disputata videntur, ac facilitate quadam commendantur, accuratius autem nobis intuentibus longe aliter res sese praebebit. Omnino autem tenendum est ex una legione totam hanc aciem II 15 formandam esse, nam „unius legionis exemplo“ declaratur „qualiter instruenda sit acies“.

Quinque ergo priores cohortes legionariae quattuor priores ordines occupant, nam ut supra pag. (25.) vidimus cohortes Vegetianae in aciem deductae per quattuor ordines locandae sunt; — sequuntur quinque reliquae cohortes, item per quattuor ordines locatae — illam difficultatem, quod hi ordines propter minorem militum multitudinem paulo breviores esse debent (cf. pag. 25), missam faciamus. — Deinde secundum Langium tres ordines levis armaturae sequuntur — nam funditores et tragularios, qui hoc tantum loco apud Vegetium commemorantur, quisque in eodem ordine locabit. — Attamen supra demonstratum est (pag. 28) semper totidem milites levis armaturae in aciem deductos esse atque legionarios, cum vero iam octo ordines gravis armaturae habeamus, tres ordines unus ferentariorum unus sagittariorum unus funditorum non sufficiant, nisi multo porrectiores hos ordines esse statuamus; id quod absurdum foret, — alteros igitur octo ordines eosque levis armaturae in acie habemus, et omnino iam sedecim, cum Vegetius III 14 sex tantum flagitat. At hi sedecim ordines non in mille passus, sed in campo multo angu-

[27]) Marquardt pag. 456 n. 2735.

stiore collocandi sunt! Concedamus, acies ergo 2490 vel 2100 pedes longa est in brevioribus ordinibus, milites autem in longitudine ternis pedibus distant. Sed unde triarii sumendi quibus post levem armaturam acies claudenda est? triariorum autem ad minimum duo ordines locandi sunt, cum III 14 in mille passibus 1666 triarii sint, haec vero acies dimidio minor esse debeat. E legione autem triarii desumi non possunt, cum omnes decem cohortes in prioribus ordinibus positae sint, tota autem acies non plus quam unam legionem complecti debeat. Fortasse igitur equites pro triariis post levem armaturam ponendi! Sed hoc etiam fieri non potest, cum Vegetius equites in cornibus locari iubeat. Haeremus igitur et nullo modo aciem perfecte instruere possumus, praeterea acies sedecim ordines complectens sine triariis in latitudinem 112 pedes occuparet, singulis ordinibus senis pedibus distantibus, difficillime ergo et lente tantum moveri posset.

Satis autem ex hisce apparet aciem legionis cum auxiliis minime sic instrui posse, ut decem cohortes priores aciei ordines teneant, alia igitur ratio instruendi indaganda est, qua error etiam falso locatarum cohortium demonstretur. Hoc autem fieri non potest, nisi verborum quae in fine capitis quintidecimi sunt, rationem non habemus et conceditur in campo mille passus longo aciem instruendam esse. Scimus autem primam cohortem legionis Vegetianae milites mille centum decem habere, nam etiam quinque ordinarii hoc loco cum ceteris numerandi sunt — reliquas autem cohortes quingenarios quingenos quinquagenos quinos; quinque igitur priores legionis cohortes habent milites 3330, de hisce autem 3330 militibus optime duo ordines aciei III 14 compleri possunt, uterque enim ordo 1665 bellatores accepit, qui si ternis pedibus distant mille passus occupant! Post hos duos ordines legionariorum tres ordines sequantur levis armaturae, ferentarios sagittarios funditores quinque millia militum complectentes, non ut supra in acie secundum Langium omnia sex millia auxiliarium.

Quod vero sic aciem II 15 instruendam esse dicimus verba nos movent (48, 5 Lang.). „Prima acies principum secunda hastatorum armis talibus docetur (traditur) instructa“, haec enim Vegetius scripsit, postquam exposuit quinque prioribus cohortibus primam aciem tribuendam esse, verba igitur quae modo adscripsi aut plane sensum non habent, aut ita intellegenda sunt, ut de

quinque prioribus cohortibus, vel potius de 3330 militibus, duae acies vel potius duae aciei ordines locandi sint. Post levem autem armaturam triarios etiam ponere possumus — hoc nostra ratione probata — prorsus enim eandem aciem habemus atque illam a Vegetio III 14 expositam, eo tantum diversam, ut pro duobus prioribus ordinibus gravis armaturae cohortes usurpatae sint. Secundum vero ea praecepta sola, quae Vegetius II 15 sq. dat, omnino acies unius legionis instrui non potest, haec enim esset. Primo quinque priores legionis cohortes locarentur, deinde omnis legionis levis armatura, post illam reliquae cohortes, quae pro triariis haberi non possunt, cum Vegetius ipsis sequentibus verbis dicat „Post omnes acies triarii locabantur“. Sed ut rem paucis verbis absolvamus, dicendum est, quid de toto hoc capite quinto decimo libri alterius iudicandum sit.

Praecepta, quae hic de acie instruenda proferuntur, mixta et turbata sunt ex duobus aliis capitibus, (II 6, III 14) ubi Vegetius eandem rem tractat. Legiones per cohortes ordinatam aciem capite sexto libri secundi exposuit, et ut vidimus, illa acies omni ex parte quadrat ad aciem, quam Arrianus contra Alanos instructam esse refert. Posterioris autem aetatis acies, cum legionarii et auxiliares miscerentur, optime demonstratur III 14; eandem aciem Vegetius hoc nostro loco exponere voluit, sed cum totus secundus liber de antiqua legione scriptus sit, cohortes, quae postea certe non fuerunt in legionibus in hanc aciem induxit, eo maxime commotus, quod quinque priorum cohortium militum numero duo ordines sequioris aciei compleri poterant. Quinque reliquarum cohortium mentio facta est, quia antea per errorem quinque priores commemoratae sunt, quod vero de collocatione singularum cohortium praecipitur II 15 ex capite sexto eiusdem libri huc translatum est.

Apud Vegetium igitur omnino duae tantum rationes aciei instruendae indicantur, altera II 6, altera III 14. — Nobis autem hoc unum restat, ut aetatem indicemus, cui acies III 14 descripta tribuenda sit, sed hanc etiam rem facile expedire possumus. — Scimus enim a Constantino Magno militiam Romanorum prorsus aliter institutam esse atque prius fuerat, quam rem propter fontium maximam penuriam demonstrare non possumus, nam quae sunt apud Vegetium ad Constantini militiae constitutionem spectan-

tia, tam exigua sunt, ut de singulis mutationibus nihil fere dicere possimus. (cf. Veg. II 5 = 37. 16. 19. Lang. II 9 = 42. 10. III 1 = 66, 3.) Ante Constantinum autem aciem III 14 in usu fuisse quisque concedet qui reputaverit legionum magnitudinem a Constantino admodum deminutam esse, ita ut non multum plus mille milites in una legione essent Theodosii imperatoris tempore, sicut Notitia Dignitatum testatur. Terminus autem a quo haec acies III 14 instrui poterat ipsa militum armatura indicatur.

Mattiobarbulis enim et verutis quartus ordo dimicat. Mattiobarbulis autem secundum Vegetium (I 17) duae in Illyrico legiones primae usae sunt, quae legiones hisce mattiobarbulis sive plumbatis dimicantes cum complura bella solae confecissent, a Diocletiano et Maximiano imperatoribus ita honoribus tollebantur, ut custodes fierent imperatorum, simulque Joviani et Herculiani ex imperatorum cognominibus appellarentur. Concludi autem licet mattiobarbulos tum demum ad reliquas copias translatos esse cum illae legiones imperatorum custodes factae essent.

Acies igitur Vegetiana III 14 non ante Diocletianum nec post Constantinum instructa est, annis ergo tantum viginti ab 286 usque ad 306 post Chr. natum in usu fuit.

Vita.

Natus sum Hermannus Ludovicus Friedericus Bruncke Helmstadii Kalendis Sextilibus anni huius saeculi 51 patre Henrico, matre Sophia e gente Stoeter. Gandesiae primis literarum elementis imbutum avus Stoeter me et fratrem geminum Ericum rudimenta linguae latinae et graecae docuit. Fidem evangelicam professus gymnasii Helmstadiensis discipulus factus sum anno LXV, ibi per sex annos moratus et testimonio quod dicunt maturitatis instructus Lipsiam me contuli et inter cives universitatis Lipsiensis receptus sum a. d. IV. Kalendas Maias anni MDCCCLXXI. Hac in urbe per tria semestria commoratus Berolinum migravi, sed hieme peracta Lipsiam reversus sum. Berolini scholis interfui E. Curtii Hauptii Kirchhoffii. Lipsiae me instituerunt G. Curtius Drobisch Eckstein Lange Ritschl Struempell Voigt Zarncke. Omnibus his viris optime de me meritis gratias ago maximas.